De gentium Romanarum commentariis domesticis

Eduard Lübbert (i. e. Friedrich Wilhelm Eduard)

DIEM SACRUM

AB S. LUDOVICI NOMINE

NUNCUPATUM

IN HONOREM

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI

PRINCIPIS ET DOMINI

LUDOVICI III

MAGNI DUCIS HASSIAE ET AD RHENUM

CIVIBUS

ACADEMIAE LUDOVICIANAE

OMNI QUA PAR EST

OBSERVANTIA ET REVERENTIA

CELEBRANDUM

RECTOR CUM SENATU

INDICIT.

INEST EDUARDI LUEBBERTI PROLUSIO DE GENTIUM ROMANARUM COMMENTARIIS DOMESTICIS.

GISSAE.

TYPIS OFFICINAE BRUEHLIANAE ACADEMICAE (FR. CHR. PIETSCH).

MDCCCLXXIII.

De gentium Romanarum commentariis domesticis.

Post reges exactos quemadmodum reipublicae Romanae summa gubernatio ad paucarum fere nobilissimarum familiarum potestatem rediit, ita per id saltem tempus, quod usque ad cladem Gallicam secutum est, quae de reipublicae fatis atque eventis memoriae tradita sunt, magna ex parte eis narrationibus nituntur, quibus vetustissimae illae familiae domestico potissimum usui inservientes res a semet ipsis gestas illustraverunt. Quamquam enim concedendum est, pulcherrimos in omni hac narrationum varietate flores et lumina, quales sunt fabulae illae de Coriolano, de Fabiorum clade, de Cincinnato aliae, haudquaquam unius alicuius familiae inventioni deberi, verum id poeseos genus spirare, quod ex integri populi nativo quodam impulsu et communi maiores suos celebrandi studio oritur, tamen haud dubie illarum gentium merito factum est, ut quae de proavorum suorum gloria populariter fere in carminibus tradita accepissent, non modo summa religione conservarentur, sed aucta et amplificata ad posteros propagarentur.

Atque haec ipsa tam praeclara popularis poeseos documenta privatim singulis gentibus egregio ad simile studium incitamento fuerunt. Nam ab his principiis et quasi radicibus exorsae cum partim ipsa fingendi dulcedine, partim laudis cupiditate et ambitione magnopere ad audacius progrediendum invitarentur: hiantia iungendo et alia super alia addendo eum in modum paullatim totam illam vetustissimarum temporum memoriam exaedificarunt et excoluerunt, ut uniuscuiusque gentis non modo nitidum aliquod stemma extaret a remotissimis usque originibus deductum, sed honorum quoque tituli, continua serie a maioribus ad posteros traditi, enumerari crescentisque ex seminibus suis ad florem et robur laudis atque potentiae tam plena et copiosa imago adumbrari posset, ut antiquitatis tenebrae et sordes amoenis illis et luculentis rerum gestarum narrationibus plane discussae et abstersae viderentur.

Haec omnia facile est ad existimandum quanta ex parte tum fingendi et fallendi libidini nullis finibus circumscriptae, tum fraudi pietatis cuiusdam speciem ementitae debeantur. Primorum enim post reges exactos saeculorum historiae ea est conditio, ut fortuna iniquissima ipsi iam antiquitati omnem eorum temporum accuratiorem clarioremque notitiam invidisse videatur; nam earum rerum, quae certae indubitataeque fidei indicia in fronte gerant, tanta illa aetate est paucitas, tamque exiguus numerus, ut tanquam ex vasto oceano insulae, ita ex communi oblivionis ruina illae reliquiae longe diiunctae et ingentibus spatiis lacunisque interiectis discretae emineant.

Primum in hoc genere locum haud dubie occupant aedilium commentarii, quorum memoria diu intermortua in lucem revocata est Caroli Guilelmi Nitzschi merito, qui sagacissime ostendit, pretiosissimas illas apud Livium reliquias, quibus breviter quidem, sed magna cum fide de plebeiae libertatis incrementis traditur, ex hoc fonte haustas esse [1]).

Annales maximos quominus eodem dignitatis loco poneremus minime nos ieiunum illud et verborum parcissimum dicendi genus, veterum iam hominum iudicio celebratum, impediret, modo pro certo constaret, primorum duorum liberae reipublicae saeculorum res gestas a venerandi illius monumenti conditoribus aequali iam tempore litteris mandari coeptas esse, ac non postea demum vel e memoria vel ex familiarum commentariis domesticis suppletas. Atqui in hac re dubitationes moveri posse magno documento inde cognoscitur, quod in fastis magistratuum per hanc aetatem plurimis locis ad eundem annum diversa consulum tribunorumve militarium ab annalium auctoribus nomina traduntur, prout vel hoc vel illo fonte usi sunt [2]); quom minime credibile sit, si unum aliquod summae dignitatis et pu-

---

[1]) Confer in libro egregio: Die Römische Annalistik von ihren ersten Anfängen bis auf Valerius Antias, Berolini 1873, subtilissimam argumentationem p. 210—215 et 220.

[2]) Livius 2, 21, 4 *tanti errores implicant temporum. aliter apud alios ordinatis magistratibus, ut nec qui consules secundum quosnam, nec quid quoque anno actum sit, in tanta vetustate non rerum modo, sed etiam auctorum digerere possis.* Eodem modo conqueritur 4, 23, 1 *eosdem consules insequenti anno refectos Iulium tertium, Verginium iterum apud Macrum Licinium invenio. Valerius Antias et Q. Tubero M. Manlium et Q. Sulpicium consules in eum annum edunt. ceterum in tam discrepante editione et Tubero et Macer libros linteos auctores profitentur: neuter, tribunos militum eo anno*

blicae auctoritatis exemplar extitisset, posterioris aetatis scriptores magnopere curaturos fuisse, quid tot ambiguae suspectaeque fidei testes de consulum nominibus rettulissent.

In hoc omnium verae historiae subsidiorum naufragio mirari minime licet, si eae gentes, quarum aliquando in summis reipublicae honoribus proavi fuissent, non solum innata quadam gloriae et laudis cupiditate ad damna illa resarcienda ferebantur, sed pietatis etiam officio invitari sibi videbantur, ut virtuti immerito silentio obrutae pro viribus auxilium ferrent. Quare mox tanquam in officina, ubi quisque ad debitum opus sedulo incumbit, ecce in unaquaque gente omnes certatim summa alacritate convolant, exsangues illas clarorum nominum umbras novo vitae spiritu donant, nervis et sanguine vestiunt, tristem temporum vetustissimorum solitudinem laeto confertoque egregie factorum agmine complent, vacantes historiae paginas luce et splendore illustrant, pro summa inopia affluentes divitias cumulant.

Cui tot gentium desiderio ut ampla satis et larga rerum materia suppeteret, vetusti illi historiae patroni et vindices vel astutias quasdam et artificia sibi concessa putarunt. Nam cum ex aetatis illius moribus bella fere una vel altera incursione praedandi caussa in agrum hostilem suscepta absolverentur, illi plerumque, ut eius rei exilitatem aliqua delectatione perfunderent, exigua illa armorum experimenta in iusti alicuius belli magnitudinem amplificarunt, quo ancipiti Marte pugnatum, singularia quaedam fortitudinis specimina edita, victoriae et triumphi reportati sint.

Interdum subsidiorum angustiis ita mederi conati sunt, ut eadem facta multiplicarent. Nam cum necessario in eiusdem narrationis argumentum complures gentes inciderent, cumque unaquaeque pro suis opibus rudimenta illa exornaret, expoliret, additamentis illustraret, fieri non potuit, quin brevi tempore eiusdem narrationis paullatim complures effigies et simulacra extarent et ex una quasi radice duae vel tres propagines orirentur. Talia simpliciores et incautos harum rerum aestimatores ubertatis quadam specie aliquamdiu decipere potuerunt; qui cautius et acrius iudi-

---

fuisse, traditum a scriptoribus antiquis dissimulat. Licinio libros haud dubie sequi linteos placet et Tubero incertus veri est. sed inter cetera vetustate incomperta hoc quoque in incerto positum.

care didicerit, facile genuinam huius generis narrationum vim et indolem per omnia involucra et integumenta perspiciet.

Possunt autem in hoc antiquas narrationes variandi studio duo fere genera distingui: aut enim in rerum gestarum ordine et dispositione, denique in summo totius narrationis consilio similitudo posita est, cum homines, qui fabulam peragunt, et loca diversa sint; aut idem aliquis et unus semper rerum gestarum exitus et eventus, necessario ille cum certo quodam loco coniunctus, eum in modum narrando multiplicatur, ut diversi homines diversis temporibus modo hac modo illa ratione ac via ad eundem finem prevenisse dicantur.

Prioris generis, ut ingeniose Schwelgerus[3]) observavit, luculentum exemplum praebent duarum expeditionum militarium apud Livium[4]) narrationes, quarum alteri L. Quinctius Cincinnatus, anni 296 a. u. c. dictator, praeest, alteri M. Geganius Macerinus, anno 311 iterum consul. Utriusque vero narrationis caput hac re continetur, quod amicis obsidione circumsessis ab urbe quam maxume citato properatoque agmine auxilium fertur. Deinde hostes ab utroque exercitu in medio caeduntur, veniam nacti sub iugum mittuntur, duces ante currum in triumpho aguntur. Animadvertendum est, id quod haud exiguum est communis originis documentum, hostium ducem utrobique eodem fere nomine nuncupari: priore loco Gracchum Cloelium, posteriore loco Cluilium.

Aliud huius generis exemplum offert pulcherrimae illius, sed luctuosae et flebilis narrationis argumentum, quo imperator pater de filio, qui adversus patris

---

3) Historia Romana 2^2 p. 724—729 et 3^2 p. 129, praecipue adnotatio 3.

4) Livius 3, 26—29 Cincinnati expeditionem narrat, cuius hic finis est 3, 28, 10 *Gracchum Cloelium ducem principesque alios vinctos ad se adduci iubet..., sanguinis se Aequorum non egere, licere abire; sed ut exprimatur tandem confessio, subactam domitamque esse gentem, sub iugum abituros. tribus hastis iugum fit, humi fixis duabus superque eas transversa una deligata. sub hoc iugo dictator Aequos misit.* (cap. 29, 4) *senatus triumphantem Quinctium quo veniebat agmine urbem ingredi iussit. ducti ante currum hostium duces, militaria signa praelata, secutus exercitus praeda onustus.* Gegani consulis victoria a Livio 4, 9, 13 — 10, 7 describitur; rerum ipsarum similitudo manifesta est, confer 4, 10, 4 *Volsci... ad preces a certamine versi dedito imperatore traditisque armis sub iugum missi cum singulis vestimentis ignominiae cladisque pleni dimittuntur.* (cap. 10, 7) *consul triumphans in urbem redit Cluilio duce Volscorum ante currum ducto, praelatisque spoliis, quibus dearmatum exercitum hostium sub iugum miserat.*

edictum extra ordinem cum hoste pugnavisset, licet spolia cepisset, ad spretam militarem disciplinam ulciscendam supplicium sumit. Hanc fabulam, ut narrat Livius [5]), duae sibi gentes ut propriam et domesticam variis nominibus vindicaverunt: Postumii, ut tristem severitatem A. Postumi Tuberti dictatoris anno 323 adversus Latinos creati luculento documento illustrarent; Manlii rem ad T. Manlium Torquatum anno 414 tertium consulem rettulerunt, quo duce rursus adversus Latinos pugnatum est, partim ut 'Imperiosi' cognominis. Manliis usitati, rationem redderent, partim ut quae in proverbium abierant, „imperia Manliana" [6]) explicarent. Livius quidem dicit Postumios immerito sibi hunc incomparabilis severitatis titulum adiudicavisse, quia imperia 'Manliana, non Postumiana' appellata sint; nihilo minus tamen Postumiorum ius antiquissimum fuisse inde apparet. quod in Diodori iam fontibus de Postumio Tuberto res narrata erat; sunt enim haec eius verba 12,64 ἴδιον δέ τι καὶ παντελῶς ἄπιστόν φασι πρᾶξαι τὸν Ποστούμιον· κατὰ γὰρ τὴν μάχην τὸν υἱὸν διὰ τὴν προθυμίαν προεκπηδῆσαι τῆς ὑπὸ τοῦ πατρὸς δεδομένης τάξεως, τὸν δὲ πατέρα τηροῦντα τὸ πάτριον ἔθος τὸν υἱὸν ὡς λελοιπότα τὴν τάξιν ἀποκτεῖναι.

Alterius, quod supra commemoravimus, generis narrationum, in quo identidem ad eundem exitum et finem diversis tamen machinationibus et artificiis pervenitur, praeclarissimum exemplum praebet expugnatio urbis Fidenarum. Nam Fidenae septiens defecerunt et septiens expugnatae sunt: a Romulo (Liv. 1,14. Dionys. 2,53), Tullo Hostilio (Dionys. 2,23. 31), Anco Marcio (Dionys. 3,39. 40), Tarquinio Prisco (Dionys. 3,57. 58), a T. Larcio iterum consule anno 256 (Dionys. 5,59). a Q. Servilio Prisco dictatore anno 319 (Liv. 4,22), a Mamerco Aemilio iterum dictatore anno 328 (Liv. 4. 32—34), ut non iniuria Ihneus in Historia Romana 1 p. 198 dixerit. vetustos illos rerum exornatores et narratores, si quando

---

[5]) Livius 4, 29, 5 *egregiae dictaturae* ait *tristem memoriam faciunt, qui filium ab A. Postumio, quod occassione bene pugnandi captus iniussu discesserit praesidio, victorem securi percussum tradunt. nec libet credere — et licet in variis opinionibus — et argumento est, quod imperia Manliana, non Postumiana appellata sint... Imperioso quoque Manlio cognomen inditum, Postumius nulla tristi nota est insignitus.* Narratio ex Manliorum commentariis deprompta extat apud Livium 8, 7, 12—22.

[6]) Livius 8. 7, 22 *ut... Manliana... imperia non in praesentia modo horrenda, sed exempli etiam tristis in posterum essent.*

eis aqua haereret, plerumque ad Fidenatium aliquam defectionem et expugnationem delapsos esse.

In ipsorum certaminum descriptionibus consiliorum inopia quaedam proditur, nam bis certe vel etiam ter Romani imperatores insidiarum genere haud ita volgari, cuniculis, utuntur; inde posteaquam vano clamore animos oppidanorum in aliam regionem averterunt, milites ad id delectos erumpere et terrore repentino omnia complere iubent. Ita de Anco Marcio Dionysius refert 3,40: ὁ Μάρκιος ὑπονόμους ὤρυττεν ἀπὸ τῆς ἰδίας παρεμβολῆς ἀρξάμενος ὑπὸ τὰ τείχη τῆς πόλεως . . ., τῶν δὲ Φιδηναίων ἐπὶ τὰ πολιορκούμενα μέρη τῆς πόλεως συνδραμόντων ἀθρόων καὶ τὰς προσβολὰς γενναίως ἀποτριβομένων, ἀπαναστομώσαντες τὰ πέρατα τῶν ὑπονόμων οἱ ταχθέντες ἐπὶ τούτῳ Ῥωμαῖοι ἐντὸς ἐγεγόνεσαν τοῦ περιβόλου καὶ . . . ἀνοίγουσι τοῖς πολιορκοῦσι τὰς πύλας. Huic geminam plane narrationem Livius habet ad annum 319 de Q. Servilio Prisco dictatore, 4, 22, 4: *dictator in locis propter propinquitatem notis ab aversa parte urbis maxime neglecta, quia suapte natura tutissima erat, agere in arcem cuniculum instituit. ipse diversissimis locis subeundo ad moenia . . . continenti die ac nocte proelio ab sensu operis hostes avertebat, donec perfosso a castris monte erecta in arcem via est intentisque Etruscis ad vanas a certo periculo minas clamor supra caput hostilis captam urbem ostendit.* Idem consilium Dionysius quasi praeteriens T. Larcio anno 256 consuli tribuit 5,59 χαλεπὸς ἦν ὑπορύττων τε τοὺς θεμελίους τῶν τειχῶν.

In aliis nonnullis Fidenarum urbis expugnationibus ut maxime commemoratione dignum hoc traditur, Romanos simul cum hostibus praecipiti cursu fugientibus in oppidum irrupisse. Livius de Romulo narrans 1, 14. 10 haec refert: *Fidenates . . . oppidum repetebant. neque tamen eripuere se hosti: haerens in tergo Romanus, prinsquam fores portarum obicerentur, velut agmine uno irrupit.* Ex eodem fonte haec Dionysius hausit 2,53: ἡσσηθέντες οἱ Φιδηναῖοι τρέπονται πρὸς φυγήν, ὁ δ' ἐκ ποδὸς συνακολουθῶν αὐτοῖς συνεισπίπτει τοῖς φεύγουσιν εἰς τὸ τεῖχος. Romuli exemplum egregie imitatur Mam. Aemilius dictator anno 328, de quo Livius 4, 33, 11: *alterum agmen fertur per castra in urbem. eadem et Romanos sequentes impetus rupit . . . hi postquam mixti hostibus portam intravere, in muros evadunt suisque capti oppidi signum ex muro tollunt.*

Aliud eius generis, in quo eadem victoria idemque eventus identidem partus

narratur, exemplum Antii urbis expugnatio praebet, quamquam haec repetitio non tam ex rerum memoria dignarum inopia, qua vetusti illi historiae restitutores laboraverint, repetenda est, quam ex ingenti laudis et gloriae studio, quo illi adducti, ne ulla splendori nominis Romani macula adspergeretur, non modo omnia cladium vestigia silentio obtegere, sed in earum locum fictas etiam victorias ementitosque triumphos substituere conati sunt.

Antium primum captum est anno 286 duce T. Quinctio Capitolino iterum consule [7], qui post atrox et grave proelium urbem intestina discordia et proditione laborantem in deditionem accepit. Deinde Antium coloniam deduci placuit [8], qua in re hoc notabile est, quod ex Latinis quoque et Hernicis, qui illa aetate secundum foedus cum Sp. Cassio ictum ad Romanorum exercitum milites dare consuessent, idem qui ex Romanis civium numerus inter colonos nomina dedit.

Verum brevi tempore post magna fortunae conversio secuta est [9]. Nam quom illa aetate finitimi populi, Romanis fere animi fortitudine et rei militaris studio pares, integris etiamtum viribus et illibatis omnium rerum copiis florerent, saepius, ut est inconstans et mobilis in utramque partem rota Fortunae, in id discrimen res adducta est, ut Romanis non solum de victoria et gloria, sed de ipsa salute dimicandum esset et interdum gravissimarum tempestatum fluctibus respublica paene submergeretur.

---

[7]) Livius 2, 64, 5 — 65, 7. Exitus eius belli hic est apud Livium 2, 65, 7: *paucos circumsessum dies deditur nulla oppugnantium nova vi, sed quod iam inde ab infelici pugna castrisque amissis ceciderant animi.* Cum Livio tum in luculenta proelii tum in strictiore expugnationis descriptione egregie consentit Dionysius 9, 57 et 58, qui hoc unum adicit, Quinctio triumphum a senatu decretum esse 9, 58 ἀνθ' ὧν αὐτὸν ἡ βουλὴ ὑπαντήσει τε φιλανθρώπῳ ἐδέξατο καὶ θριάμβου πομπῇ ἐτίμησεν.

[8]) Liv. 3, 1, 4. *T. Quincti ductu et auspicio agri capti priore anno aliquantum a Volscis esse, Antium, propinquam, opportunam et maritimam urbem, coloniam deduci posse... haec sententia accepta est.* Dionysius 9, 59 trium populorum eam coloniam communem fuisse testatur, licet de ratione deceptus: ἦν δ' οὐκ ἀγαπῶσι τοῖς πολλοῖς καὶ πένησι Ῥωμαίων ἡ διανομὴ τῆς χώρας ὡς ἀπελαυνομένοις τῆς πατρίδος, ὀλίγων τε ἀπογραψαμένων ἔδοξε τῇ βουλῇ, ἐπειδὴ οὐκ ἀξιόχρεως ἦν ὁ ἀπόστολος, ἐπιτρέψαι Λατίνων τε καὶ Ἑρνίκων τοῖς βουλομένοις τῆς ἀποικίας μετέχειν.

[9]) Veram rerum eius temporis conditionem per omnia fraudium et fictionum involucra egregio acumine intellexit Niebuhrius Historia Romana 2^2 p. 282 — 287, quem secutus est Schweglerus Hist. Rom. 2^2 p. 716 sq.

Et primum quidem his ipsis annis **Aequi** [10]), hominum multitudine et ingeni robore validissimi, omnibus viribus copiisque conisi sunt, ut crescentem imperi Romani potestatem contunderent et opprimerent. Qua in re quantum Romanis negotium exhibuerint quantamque saepe perniciem eis minati sint, non tam ex Romanis annalium scriptoribus discimus, qui eandem semper cantilenam de hostibus ad internecionem caesis repetunt, quam ex ipsius rei testimonio, unde luculentissime apparet, Aequos per aliquod temporis spatium quotannis sine ullo cladis acceptae vestigio eadem semper audacia eodemque semper belli apparatu in Algido castra posuisse [11]), inde continuis fere incursionibus populabundos in campos Romanos se effudisse, nonnunquam ad ipsius urbis portas progredi ausos esse.

Haud minus periculum a **Sabinis** [12]) instabat omni subsidiorum genere etiamtum pollentibus, qui cum singulis fere annis tanquam per orbem redeuntia bella renovarent, tanto saepe tumultu et impetu in fines Romanorum irruperunt, ut nonnunquam haud multum afuerit, quin urbs caperetur.

Eorum populorum exemplum secuti **Volsci** [13]) quoque rebellarunt, qui quom pudore simul et dolore propter ereptum sibi Antium ad ultionem stimularentur, icto

[10]) Livius 3, 3—8 bella cum Aequis per hos annos gesta narravit. Quantum periculum reipublicae Romanae tum Aequi attulerint ex his locis cognoscitur: Liv. 3, 3, 1 ad annum 389: *relicto itaque castris praesidio egressi tanto cum tumultu* (Aequi) *invasere fines Romanos, ut ad urbem quoque terrorem pertulerint;* et 3, 5, 2 ad annum 290: *simul castra oppugnabantur, simul pars exercitus ad populandum agrum Romanum missa urbemque ipsam, si qua fortuna daret, temptandam;* eodem modo 3, 6, 7 ad annum 291: *non diutius se in Hernico hostis continuit, pergit inde infestus in agros Romanos etiam sine iniuria belli vastatos, ubi cum obvius nemo, ne inermis quidem, fieret, ... pervenere ad tertium lapidem Gabina via.* conf. Dionysii narrationes 9, 61 — 66, quibus hae clades confirmantur.

[11]) Livius 3, 31, 3 *ambo consules cum exercitu missi hostem in sua sede in Algido inveniunt.*

[12]) Livius 2, 63, 7 ad annum 285: *dum Aequi Volscique Romanos exercitus tenent, Sabini usque ad portas urbis populantes incessere;* et 2, 64, 3 *Sabini ... cum caedes et incendia circum Anienem flumen fecissent, a porta Collina moenibusque pulsi ingentes tamen praedas hominum pecorumque egere.*

[13]) Volsci hac aetate semper cum Aequis coniuncti bellum Romanis inferunt; Livius 3, 4, 2 (anno 290): *Aequi ab Ecetranis Volscis praesidium petiere, quo cupide oblato — adeo civitates eae perpetuo in Romanos odio certavere — bellum summa vi parabatur.* Liv. 3, 6, 4 *legati Hernici nuntiant, in agro suo Aequos Volscosque coniunctis copiis castra posuisse, inde exercitu ingenti*

cum Aequis foedere et renovato belli apparatu acerrime enitendum sibi putarunt, ut non solum damna, quae accepissent, repararent, sed ultro hostibus perniciem inferrent. Huc accedebat quod per eosdem annos ingens morborum et pestilentiae vis [14]) regionem Romanam vexavit, quae urbem et agros maxima hominum et pecorum strage replevit.

Tot igitur hostium impetum tantaque pericula urbi Romae imminentia intuentes facile vel sine manifesto veterum scriptorum testimonio nobis persuadeamus, rempublicam Romanam illis temporibus gravibus saepe procellis concussam et vulneribus afflictam vix summa virium contentione resistere potuisse. Atqui ne ipsis quidem illis vetustis historiae auctoribus, qui hoc tanquam muneris sui putabant, ut eius aetatis res gestas splendidis elegantibusque coloribus fucarent, tam bene res successit, ut eum, qui paullo accuratius eorum narrationes consideret, fugere possit, septem illos annos, qui inter annos 289 ad 296 interiecti sunt, in funestissimis fere et infortunatissimis totius historiae Romanae numerandos esse.

Omnium vero illarum cladium, quibus tum obrutus est populus Romanus quarumque memoria maxima ex parte obscurata est, una certissima videtur: Antium sive expugnatione sive proditione captum in Volscorum rursus ditionem pervenit. Livius ipse quidem apertis verbis hoc factum esse negat, scilicet quia res parum honorifica nomini Romano fide quoque parum digna sit: noverat tamen complures vetustos eius rei testes, dicit enim 3, 23, 7 *eodem anno* (295) *descisse Antiates apud plerosque auctores invenio,* cum paullo supra iam haec tradidisset 3, 4, 4: *ea multitudo dilapsa cum Antium redisset, sua sponte iam infidos colonos Romanis abalienarit. necdum matura re cum defectionem parari delatum ad senatum esset, datum negotium est consulibus, ut principibus coloniae Romam excitis quaererent, quid rei*

---

fines suos depopulari. Romanorum clades ridiculo mendacio annalium auctores obscurare conantur; nam ex hoc fonte hausta sunt quae Livius 3, 8, 10 habet (ad annum 292): *ibi Volscum nomen prope deletum est. tredecim milia quadringentos septuaginta cecidisse in acie ac fuga, mille ac centum quinquaginta vivos captos ... in quibusdam annalibus invenio.* conf. Dionys. 9, 62 — 65.

[14]) Anno 288 teste Livio 3, 2, 1 et Dionysio 9, 60; et anno 291, qui morbus gravissimus fuit, ut dicit Dionysius 9, 67 οὐδὲν οὔτε κατὰ πολέμους ἔργον ἀπεδείξαντο Ῥωμαῖοι λόγου ἄξιον οὔτε πολιτικόν, ὑπὸ νόσου κακωθέντες ὡς οὔπω πρότερον λοιμικῆς. Confer Livius 3, 6 et 7.

esset. Dionysius eandem narrationem sine ulla dubitationis vel suspitionis significatione tradidit, in anni quoque numero 295 consentiens, quo Q. Fabius Vibulanus tertium et L. Cornelius Maluginensis consules fuerunt. Refert enim haec 10, 20 ἕτεροι παρῆσαν ἀπὸ τοῦ Λατίνων ἔθνους ἀποσταλέντες, οἳ τὴν Ἀντιατῶν πόλιν ἤγγελλον ἐκ τοῦ φανεροῦ ἀφεστηκέναι, μιᾷ χρησαμένων γνώμῃ Οὐολούσκων τε τῶν ἀρχαίων οἰκητόρων τῆς πόλεως καὶ Ῥωμαίων τῶν ἀφικομένων ὡς αὐτοὺς ἐποίκων καὶ μερισαμένων τὴν γῆν.

Ex his indiciis satis certum videtur, **A n t i u m i l l o a n n o a d V o l s o s r u r s u s t r a n s i s s e**; neque id mirum videri potest, si quis reputet, quantis certaminibus quantisque periculis respublica Romana tum distenta fuerit. Unum tamen est, quod uniuscuiusque, qui rerum ab annalium scriptoribus traditarum rationem reposcere didicerit, animum et admirationem in se convertat: statim post Antium amissum illud bellum, quod cum Volscis satis vehementer exarserat, plane extinctum videtur; Volsci certe Antiates tam firmam pacem servarunt, ut per annos quinquaginta nullum neque certaminum neque inimicitiarum, quibus Romanos lacessiverint, vestigium extet. Livius anno demum 346 Antiates bellum rursus movisse testatur, qua in narratione talem haud dubie rerum statum sibi fingit, ut Antiates tum quidem sui iuris minimeque Romanorum imperio subiectos fuisse adpareat; scribit enim haec 4, 56, 4: *Volscos deinde et Aequos ... fama adfertur summa vi ad bellum coortos, caput rerum Antiates esse, eorum legatos utriusque gentis populos circumisse castigantes [increpantes]que ignaviam ...*

Haec omnia, quae commemoravimus: insignes reipublicae Romanae clades, Antium oppidum Romanis ereptum, subita deinde et diuturna pax, denique Antiatium libertas per tot annos intacta et inviolata, si paullo accuratius inter se comparentur, negari vix poterit, ea miram quandam discrepantiam et offensionem continere. Nam si revera tantopere Volscis fortuna favit, ut Romanos illo tempore ulcisci et opprimere posse sibi viderentur, cur subito in illo victoriae cursu substiterunt? et rursus cum constet Romanos paucis post illam perturbationem annis ex miseriis rursus caput sustulisse et ad novom robur convaluisse, cur in tam irritabili populi Romani ambitionis et honoris sensu per tam longum temporis spatium nullus omnino conatus Antii urbis recuperandae commemoratur? Ad hanc difficultatem expediendam vir eximius **N i e b u h r i u s**, qui ceteris fere viris doctis in hoc litterarum genere facem praetulit, egregio acumine coniecturam quandam proposuit,

qua verum temporis illius rerum Romanarum statum et conditionem mirum in modum divinando assecutus esse et ex fabularum tenebris in severioris historiae lucem protraxisse videtur.

Eius coniecturae, quam in Historiae Romanae vol. 2². p. 282—291 explicatius argumentis firmare conatus est, haec fere est summa: Romanos, quom undique periculis urgerentur neque ullam auxili et salutis spem paratam viderent, prudentissimo consilio necessitati cessisse, et ut aliqua saltem ex parte respirarent et cura exonerarentur, cum haud exigua hostium parte, cum Volscis, foedus composuisse, cuius haec potissimum conditio fuerit, ut Romani sua sponte Volscis Antium concederent, Volsci contra bello adversus Romanos abstinerent firmamque pacem servarent. Huius consili praestantiam mox egregie eventus confirmavit. Nam respublica Romana quom exigua hac iactura plenum virium suarum usum nacta esset, repulsis, qui relicti erant, hostibus praeclarissime ex his fluctibus evasit tantoque firmiores potentiae et magnitudinis radices egit.

Verum huius ipsius consili, quo tum respublica in ultimum discrimen adducta servata est, posteriore tempore annalium Romanarum auctores tantopere paenituit idque tam indignum ingenio populi Romani iudicaverunt, ut totam hanc belli apud Antium gesti historiam ingenti fabularum fictarumque narrationum nube obvolverent. Sunt autem duae potissimum narrationum formae et species, quas veteres illi historiae restitutores in hoc argumento retractando et immutando expresserunt: aut enim Antium omnino in Volscorum potestatem pervenisse negant, Romanos enim imperatores tanta statim fortitudine rebellionem oppressisse, ut Volsci in resistendo perseverare ausi non sint; aut Antium ereptum esse Romanis concedunt, sed brevi tempore post luculenta victoria Romanos iniuriam ultos esse Antiumque rursus felici expugnatione in potestatem suam redegisse. Priori harum narrationum generi Livius addictus est, alteri Dionysius. Ultima tamen earum fabularum origo et praecipua caussa minime dubium esse potest, quin ex familiarum commentariis domesticis repetenda sit; eae enim hanc fingendi occasionem tanto lubentius arripuerunt, quia in hoc argumento exornando cum proavos suos triumphis, victoriis, laudibus cumulabant, ipsius reipublicae honori et gloriae simul prospicere macularumque nonnullarum vestigia detergere videri poterant.

Reliquum est, ut ipsarum narrationum brevem conspectum exhibeamus. Livius

3, 22, 3—9 Volscos apud Antium a Q. **Fabio Vibulano** tertium consule anno 295 gravi proelio victos esse testatur; l. l. § 4 *inde lustrato exercitu Antium profectus* (Fabius), *haud procul oppido stativisque hostium consedit. ubi cum Volsci, quia nondum ab Aequis venisset exercitus, dimicare non ausi, quemadmodum quieti vallo se tutarentur, pararent, postero die Fabius non permixtam unam sociorum civiumque, sed trium populorum separatim acies circa vallum hostium instruxit. ipse erat medius cum legionibus Romanis. inde signum observare iussit, ut pariter et socii rem inciperent referrentque pedem, si receptui cecinisset. equites item suae cuique parti post principia collocat. ita trifarium adortus castra circumvenit et, cum undique instaret, non sustinentes impetum Volscos vallo deturbat. transgressus inde munitiones, pavidam turbam inclinatamque in partem unam castris expellit. inde effuse fugientes eques, cui superare vallum haut facile fuerat, cum ad id spectator pugnae adstitisset, libero campo adeptus, parte victoriae fruitur territos caedendo. magna et in castris et extra munimenta caedis fugientium fuit, sed praeda maior, quia vix arma secum efferre hostis potuit. deletusque exercitus foret, nisi fugientis silvae texissent.*

Eam narrationem, qua Antium in Volscorum potestatem pervenisse ferebatur, novit quidem Livius, sed veri dissimilem indicat 3, 23, 7 *eodem anno* (anno 295) *descisse Antiates apud plerosque auctores invenio. L. Cornelium consulem* (Fabii collegam) *id bellum gessisse oppidumque cepisse, certum adfirmare, quia nulla apud vetustiores eius rei mentio est, non ausim.*

Dionysius contra narrationem de Fabii victoria plane ignorat, vel potius repudiavit, quia cum altera illa narratione, quam ipse praetulit, minime convenit, qua Antium in Volscorum potestatem pervenisse dicebatur. Hoc ipsum Dionysius apertis verbis testatur 10, 20 παρῆσαν . . . ἀποσταλέντες, οἳ τὴν Ἀντιατῶν πόλιν ἤγγελλον ἐκ τοῦ φανεροῦ ἀφεστηκέναι. Deinde expugnati rursus oppidi laudem ad **L. Cornelium consulem, Fabii collegam**, refert, eamque expugnationem accurate describit 10, 21 ὁ δ' ἕτερος τῶν ὑπάτων Κορνήλιος ἐπὶ τοὺς ἐν Ἀντίῳ Ῥωμαίους τε καὶ Οὐολούσκους ἐλαύνων, ἐπιτυγχάνει στρατιᾷ πρὸ τῶν ὁρίων αὐτὸν ὑποδεχομένῃ. παραταξάμενος δὲ αὐτοῖς καὶ πολλοὺς μὲν φονεύσας, τοὺς δὲ λοιποὺς τρεψάμενος, ἀγχοῦ τῆς πόλεως κατεστρατοπέδευσεν. οὐ τολμώντων δὲ τῶν ἐκ τῆς πόλεως οὐκέτι χωρεῖν εἰς μάχην, πρῶτον μὲν τὴν γῆν αὐτῶν ἔκειρεν, ἔπειτα τὴν πόλιν [αὐτῶν] ἀπετάφρευε καὶ περιεχαράκου. τότε δὲ πάλιν ἀναγκασθέντες ἐξῆλθον ἐκ τῆς πόλεως πανστρατιᾷ, πολὺς καὶ ἀσύντακτος ὄχλος, καὶ συμβαλόντες εἰς μάχην ἔτι κάκιον ἀγωνι-

σάμενοι κατακλείονται τὸ δεύτερον εἰς τὴν πόλιν, αἰσχρῶς φεύγοντες. ὁ δ' ὕπατος οὐδεμίαν αὐτοῖς ἀποστροφὴν ἔτι δοὺς κλίμακας προσέφερε τοῖς τείχεσι καὶ κριοῖς ἐξέκοπτε τὰς πύλας. ἐπιπόνως δὲ καὶ ταλαιπώρως τῶν ἔνδον ἀπομαχομένων, οὐ πολλὰ πραγματευθεὶς κατὰ κράτος αἱρεῖ τὴν πόλιν.

Dionysius igitur Corneliorum commentarios domesticos secutus est, quorum Livius auctoritatem repudiavit.